germanicis in Cancellaria vestra. Satis facundi est natura. De negotio matrimoniali, Etsi scio quid Iurisconsulti dicant de secundo genere adfinitatis, tamen sentio, non tolerandam esse coniunctionem ducentis novercam mortui coniugis. Ut enim privigno non licet ducere Novercam, ita cum sint una caro, vir et uxor, non licet ducere Novercam ei qui privignam habuit. Collocuti sumus hodie de ea re, et arbitror nostros iudices idem respondisse. Nunc adsunt legati Ducum Pomeraniae et vocant pastorem unum ad Episcopatum Caminensem gubernandum. Audio Imperatorem Carolum mandata ducibus Pomeraniae misisse, ut ordinariam electionem impediant. Deum oro, ut gubernet Ecclesias suas, et servet ac defendat eas. Bene vale. die. 21. Iulij

Philippus Melanthon.

~~[illegible]~~

Amplissimo Viro, et summo Theologo D. Nicolao Amsdorffio, Cizensis et Neumburgensis Ecclesiae Ep[iscop]o, et praeceptori ac amico suo in Chro venerando.

S. Clarissime Episcope et praeceptor in Chro venerande, cum haberem commodum nuncium, et scirem te esse Magdeburgi, non volui intermittere, quin ego fugatus in domino, te propter eandem exulantem, vel obiter tantum salutarem: Imo et de miserabili Rhenensium Ecclesiarum statu certiorem redderem, qui qualis sit, poteris ex annexis scriptis perspicere, quae una mitto, et latina et germanica. Rogo itaque, ubi tibi placuerit, ut digneris efficere, quo utrumque exemplar excudatur, puto namque istorum divulgatione aliquid animi vestratibus addendum esse, et Sathanae insidias in apertum producturum,

Praeterea transmisi ante aliquot septimanas, pium et doctum scriptum ad vos, in quo pene integra

totius Interitus confutatio continetur, quod qui-
dudum ~~excepit~~ impressor vir ordinis senatorij,
cuius nomen me fugit. De illo igitur, ut
inquisitionem per famulum tuum instituas,
etiam atque etiam obsecro. Insuper audio nunc
multa apud vos excudi, pijs in confirmationem,
quae et ipsa pro pecunia mea mihi mitti cupio.
Vale vir amplissime, et meam importunitatem
boni consule, imo responso aliquo consolatorio
me satis miserum in Christo consolare. Annaemon-
tanj, Anno 1549. Die 9. Martij
Item exhibeo simul tuo, et aliorum iudicio libellum
meum de Cruce, num prelo dignum sit, nec ne,
quod uti indignum iudicaveritis remittite.

T. Erasmus Sarcerius.

~~[illegible]~~

~~[illegible]~~

Optimo ~~viro~~ et vere in Christo reverendo viro
Dno Nicolao Amsdorffio Ecclie Numburgen
Episcopo Dno suo et amico ac fautori Charissimo.

S. P. in Christo unica nra et vera salus. Optime mi
pater ac Episcope Reverende vere in Christo, Non po-
tui committere, quin Vestrae dignitati scriberem vel
extempore, postquam Apothecarius nri principis, civis
Winariensis, sese ad vos nuncium habere signifi-
cavit. Volui et vestram Reverentiam scire,
me nunc hic in aula opt: et pij principis Barni-
mi medicum agere. At animadverto hactenus,
illos ipsos principes constanter tueri ac confiteri Verbum
Dei syncerum. Quamvis enim, ut placare
possint iratissimum Caesarem, pecunias illi colligant,
missis iam legatis pro capitulatione deliberanda,
Tamen illud inprimis cavemus, ne quid consentiant
in Interim, Nisi quod Colbergen civitas per
suum syndicum Islebij Interimisticum genitum